



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

31. An Metropolitanus extra casus supradictos possit saltem tempore visitationis dispensare cum subditis suffraganeorum, sicut potest confessiones audire, & absolvere poenitentes? Ex p. 8. tr. 3. res. 15.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

RESOL. XXX.

An Metropolitanus possit dispensare cum subditis suorum suffraganeorum?

Et An saltem, si Episcopus suffraganeus dispensationem petitam denegat, quando dispensare tenetur, possit Archiepiscopus per appellationem aditus dispensare?

Et quid, si adsit causa iusta, sed non tenetur, vel non sit subditis debita, sed mere gratuita: aut partim gratuita, & partim debita? Ex part. 8. tr. 3. Ref. 14.

§. 1. **R**espondeo negatiue, quia Archiepiscopus non habet ordinariam iurisdictionem, nisi in sua Diocesi & solum est iudex in causis Diocesis suffraganeae per appellationem ad eum deductis, c. 1. de officio delegati, cap. duo, de officio ordinarij, cap. Pastoralis, eodem titulo. ibi, cum in eum, exceptis quibusdam articulis, nullam habeat potestatem, vbi sermo est de Episcopo in subditum suffraganei. Probatur etiam ex cap. nostro de electione, vbi tanquam quid speciale conceditur Archiepiscopo posse concedere indulgentias in Diocesi suffraganea, & cum hac sit specialis concessio, signum est in alijs specialiter non concessis eum posse, & ita docet Sanchez lib. 4. Decalogi, cap. 38. n. 11. Syluester verb. Votum 4. quest. 3. dictio 4. Sotus lib. 7. de Iustit. question. 4. art. 3. col. 4. vers. Prater Angles in floribus 2. par. quest. vnica, de voto, art. 8. diffi. 9. conclus. 7. Aragonius 2. 2. q. 88. art. 12. fol. 1042. pag. 2. concl. 3. Antonius Gomez in Bulla Cruciatu, clausula 10. n. 59. Sayro in Clausi Regia, lib. 6. cap. 11. n. 79. Suarez tom. 2. de Religion. tractat. de voto, lib. 6. c. 10. n. 8. Henriquez lib. 14. de irreg. cap. 18. num. 3. Auila de censuris, part. 7. disp. 10. dub. 6. post. 1. conclus. notabilis 2. & 2. part. c. 7. disp. 1. dub. 10.

Sup. hoc infra in tr. 3. Ref. 8. §. ult. & in tom. 2. tr. 6. Ref. 90. §. 1. ante medium, à verif. Secundo extra tempus.

2. Nihilominus si Episcopus suffraganeus dispensationem petitam denegat, quando dispensare tenetur poterit Archiepiscopus per appellationem aditus dispensare: quia in hoc casu est legitimus iudex subditorum suffraganei.

3. Sed difficultas est, quando Episcopus potest dispensare, quia adest iusta causa dispensandi, sed non tenetur, an possit in casu subditus adire Metropolitanum, si Episcopus nollet dispensare. Et negatiue respondet Castro Palau tom. 1. tract. 3. disp. 6. punct. 7. §. 3. n. 2. vbi sic ait: Scio non deficere auctores, qui solum ex eo quod inferior renuat dispensationem concedere, causa dispensandi interueniente, asserant posse Metropolitanum auxilium implorari, vt ex misericordia dispense, vel faciat, vel inferior dispense. Sic docet Henriquez lib. 14. de irregular. cap. 18. num. 3. Auila de censur. 7. par. disput. 10. dub. 6. notab. 2. circa primam conclus. Sanchez illos referens, & sequens lib. 4. summ. cap. 38. num. 12. Sed quod diximus tenendum est, vt probabilis, scilicet non posse, nisi causa ita necessaria, sit vt male faciat inferior dispensationem denegans, idque manifestum sit, quia alio modo negligens reputari non potest inferior, vt loco illius Metropolitanus subrogetur. Ita Palauus. Itaque cum Episcopus non teneatur dispensare, consequenter non potest reputari negligens, vt loco illius Metropolitanus subrogetur. Et hanc opinionem videtur approbare Quarant in summ. Bull. verb. Archiepiscopus, n. 22. dum ait, extra causam negligentiae, non succedere Archiepiscopo.

4. At hanc sententiam mihi non placet, & adhaere affirmatiue sententiae, quia vt docent Bartolus in l. 1. num. 11. ff. de iuris. om. iud. & Iason §. superest,

num. 65. & 66. Instit. de action. Officium iudicis misericorditer imploratur, quando id, quod pars petit, debitum non est, sed iudex ex officio efficere potest, vt sibi concedatur. Et haec opinio mihi videtur probabilior, quam sequuntur etiam Borgal. de irreg. part. 2. princ. fol. 27. titul. Quae dispensatio dicatur debita, Nec obstat ratio à Palao in contrarium adducta, nam illa tantum probat, non posse adiri Metropolitanum per viam appellationis.

5. Notandum est tamen hic obiter, quod quando Episcopus teneatur dispensare, non est facile indicare; tunc tamen tenebitur dictam dispensationem concedere, quando notabile bonum publicum, aut priuatum vouentis, aut iurantis spirituali praedictam dispensationem exigit, nec per meram, simplicem, & puram commutationem potest commode huic damno obuiari, & bono spirituali dispensationem petentis consuli, ac prospici; quia cum potestas Praelatorum sit in subditorum bonum, ac ex officio teneantur consulere spirituali illorum saluti, ratione proprij muneris necessario adstringuntur tunc hac dispensatione, vt, quoties illa ad eum finem necessaria arbitrio prudentis fuerit, & quando subditus teneatur eam dispensationem petere. Ita Sanchez lib. 4. Decalog. cap. 46. n. 9. & Fagundez in Decalog. tom. 1. lib. 2. c. 41. n. 16.

6. Si vero dispensatio non sit subditis debita, sed mere gratuita, aut partim gratuita, partim debita, non possunt subditi ab Episcopis suis ad Archiepiscopum appellare; possunt tamen officium illius tanquam superioris, data causa iusta, ad secum dispensandum implorare, vt ex misericordia dispense, vt optimè animaduertit Sanchez lib. 4. Decalog. cap. 38. n. 12. & c. 47. n. 10. & lib. 3. de matrimon. disp. 20. à n. 20. vsque ad 24.

RESOL. XXXI.

An Metropolitanus extra casus supra dictos possit saltem tempore visitationis dispensare cum subditis suffraganeorum, sicut potest confessiones audire, & absolueri penitentes. Ex part. 8. tract. 3. Ref. fol. 15.

§. 1. **A**ffirmatiue respondet Auila de censuris, part. 2. c. 7. disp. 1. dub. 10. Henriquez lib. 14. c. 18. n. 3. Gomez in Bull. Cris. claus. 13. n. 58. & Barbosa de potest. Episcop. part. 2. alleg. 39. n. 19. & rationem adducunt; quia Archiepiscopus tempore visitationis, potest subditos suffraganeorum absolueri à peccatis: ergo etiam poterit cum ipsis dispensare. Antecedens patet ex cap. fin. de censib. lib. 6. ibi: potest etiam idem Archiepiscopus, dum visitat, subditorum suffraganeorum confessiones audire, ac absolueri contentes, & ipsis penitentias iniungere salutares.

2. At haec opinio non placuit Castro Palao tom. 1. tract. 3. disp. 6. punct. 7. §. 3. n. 2. vbi sic ait. Tertius casus est, dum Metropolitanus visitat, quia tunc videtur esse superior. At non est superior ad dispensandum, sed solum ad absoluerendum, cap. fin. de censib. in 6. Alias potest dimissorias concedere, quod communiter reprobatur. Ita ille, qui citat Suarez, Pontium, & Sanchez quibus adde Sayrum in Clausi Regia, lib. 6. c. 11. n. 8.

3. Et vt verum fatear, Archiepiscopus nihil potest in Diocesis Suffraganeorum, praeter sibi specialiter in iure concessa. At nullibi conceditur ipsi dispensandi potestas, tempore visitationis, sed tantum absolueri à peccatis, vt constat ex d. cap. fin. Nec potestas dispensandi est necessario coniuncta cum potestate

Sup. hoc infra in tr. 3. Ref. 8. §. ult. & in tom. 2. tr. 6. Ref. 90. §. 1. ante medium, à verif. Secundo extra tempus.

potestare absolventi, vt patet in Parochis, qui solam
posterioriorem habent. Item, quia dum visitat, non
potest illis subditis suffraganeorum concedere dimis-
sionis ad Ordines, vt bene inquit Franc. in d. cap. sin-
tam. ult. nec potest dispensare cum eis in denuncia-
tionibus matrimonii praeiis, cum vterque sit etiam
actus iurisdictionis ordinariae: ergo neque in aliis di-
spensare poterit.

4. Nota tamen, quod post haec scripta inueni Fagundez
in Decalog. tom. 1. lib. 2. cap. 41. num. 13. hanc
docere sententiam; sic enim ait: Sunt multi, qui di-
cunt posse Archiepiscopum dispensare in votis cum
subditis suorum suffraganeorum tempore visitatio-
nis, dum visitat Dioecesim suffraganeam, & sic limi-
tant non posse extra tempus visitationis; at posse in
tempore visitationis, & quia est legitimus superior,
& quia tunc potest eos absolueri a peccatis, & con-
fessiones illorum audire, vt patet ex cap. finali, de
crepibus, ibi: Potest etiam idem Archiepiscopus, dum
visitat subditorum suffraganeorum confessiones, au-
dire, & ac absolueri confitentis, & illis penitentias
imungere. At dicendum est, nec etiam tempore
visitationis posse, quia, vt diximus, Archiepiscopus
nihil praeter sibi specialiter concessa potest in suffra-
ganea Dioecesi, sed nullibi in iure ipsi conceditur ta-
lis dispensatio, sed absolutio tantum a peccatis, vt
constat ex praedicto cap. finali, de censuris, nec po-
testas dispensandi est coniuncta cum potestate absol-
uendi, vt constat in Parochis, qui solam potestatem
absoluenti habent, non dispensandi. Deinde, quia
dum visitat, nequit concedere illis subditis suffraga-
neis dimissiones ad Ordines, vt bene tradit Francus
eo cap. finali, numer. vltim. nec potest dispensare in
denunciationibus in matrimonio praeiis, cum vter-
que etiam sit iurisdictionis ordinariae actus. Ergo
similiter nec in votis, aut iuramentis Deo praestitis.
Ita Fagundez.

RESOL. XXXII.

An in extraordinario aliquo euentu possint inferiores
dispensare in legibus superiorum, siue lex sit de ma-
trimonio iugendo, vel de aliqua irregularitate,
vel reservatione voti, aut similibus.

Et an quoties Episcopus potest certiorum facere Pon-
tificem, & pauperum eorum, cum quibus dispen-
sandum est, supplere, vt negotium ad Pontificem de-
feratur, dispensare Episcopus non possit? Ex part. 8.
tra. 3. Resol. 71.

R. Spondeo, quod in extraordinario aliquo
euentu, quando vigeat necessitas dispensan-
di, etque periculum in mora, neque facile ad legilla-
tum potest recurrere, siue lex sit de matrimonio iug-
endo, vel de aliqua irregularitate, vel reservatione
voti aut similibus. De omnibus his asseritur pos-
se inferiorem dispensare, si vigeat necessitas; quia
tunc ex praesumpta legislatoris voluntate censetur in-
feriori commissa dispensandi facultas. Negare enim in
his casibus potestatem dispensandi, videtur esse con-
tra charitatem, suaue Ecclesiae regimen & commune
bonum, quod non est praesumendum. Adde quod saepe
absolutionem alicuius criminis referuat Pontifex si-
bi, praeterquam in mortis articulo: & tamen si ad
Pontificem recursus non sit, potest Episcopus absolu-
tionem concedere. Ergo ex necessitate vrgenti praer-
munitis docent Thomas Sanchez lib. 2. disp. 40. num. 3.
& lib. 3. disp. 6. num. 20. Suarez de legib. lib. 6. cap. 14.
num. 10. Pontius lib. 3. cap. 6. num. 7. & alij.

2. Sed Valquez disp. 178. cap. 2. n. 16. aduertit, quod
Tom. 111.

quoties Episcopus potest certiorum facere Pon-
tificem, & pauperum eorum cum quibus dispensandum
est, supplere, vt negotium ad Pontificem deferatur,
dispensare non possit. Nam si hoc modo Pontifex
consuli potest, qua ratione Episcopus in lege Pon-
tificia dispensabit? Alias vero poterit, inquit, in fa-
cere ex voluntate praesumpta Pontificis sine incom-
moda, & damna sequantur. Ego vero credo, Episco-
pum non teneri in impetrandis his dispensationibus
reditus suos consumere, maxime cum aliis meliori-
bus, aut aequè bonis, & necessariis possunt impen-
di: poterit ergo dispensare ad paupertatem partium,
etiam cum ipse eam paupertatem supplere potest, &
ita habet praxis, & sentiunt Doctores: nam sine illa
limitatione docent, licitum Episcopo esse, dispen-
sare in necessitate, quando propter paupertatem par-
tium difficilis est ad Pontificem aditus. Et ita hanc
limitationem Valq. impugnat Salas de legibus disp. 20.
sect. 3. num. 27. Sanchez in summa tom. 1. lib. 4. cap. 40.
n. 39. & alij, quibus ego libenter adhaereo.

RESOL. XXXIII.

An sit valida dispensatio facta ab inferiori in lege supe-
rioris, non praecognita prius causa, quando re vera
causa erat iusta, & legitima.

Et si subditus utatur tali dispensatione, neque peccet
venialiter? Ex p. 1. tr. 10. Res. 34.

1. N. Egatiuam sententiam docet Azorius part. 1. Sup. hoc in
lib. 5. c. 15. q. 9. & 10. asserens, in neutro foro
valere dictam dispensationem: quia facultas dispen-
sandi censetur commissa praemissa causae cognitione.

2. Sed contraria sententia probabilior mihi vide-
tur: nempe, huiusmodi dispensationem validam esse
in foro conscientiae, donec in foro exteriori reuoce-
tur: & praeter Doctores, quos citat, & sequitur Sanch.
de matr. tom. 3. lib. 8. disp. 17. n. 11. Salas de legib. disp. 20.
sect. 9. num. 79. docet etiam hanc sententiam Villalob.
in summa tom. 1. tractat. 2. dub. 41. num. 4. vbi ita ait:
Quando de hecho de verdad ay iusta causa, mas el Pre-
lado dispensa en conocimiento della, vale la dispensa-
cion en el fuero interior hasta tanto, que se le renoue
en el fuero exterior, y es la razon, porque no ay derecho
en que se irrute la tal dispensacion, y como en ella se
guarda el fin, hasta esso aunque salie la solemnidad de
derecho. Vnde contra Azor. putat, & bene, Salas, vbi
supr. n. 81. si subitus utatur tali dispensatione, neque
venialiter peccate.

RESOL. XXXIV.

An dispensatio inferioris in lege superioris, existente
iusta causa, sed sine eius cognitione, valida sit?

Et in dicto casu quamuis dispensatio valida sit, an ita
dispensans peccet mortaliter? Ex p. 8. tr. 3. Res. 21.

1. H. Hoc dubium satis difficile pertractat P. Sup. hoc in
Amicus tom. 5. disputat. 6. section. 7. num. 91.
vbi sic ait: Oritur non leue dubium, An in foro con-
scientiae valida sit dispensatio data ab inferiori in le-
ge superioris, legitima quidem existente causa, non
tamen ea a dispensatore cognita. Afferunt Sanchez
lib. 8. de Matr. citata disp. 17. n. 11. Cuius ratio
est, quia talis dispensatio nullibi declaratur inu-
alida. Confirmat, nam lex etiam temere promulgata si i-
usta sit, obligat: ergo etiam dispensatio temere data,
si iusta, valida erit. Quod, si quando in dispen-
satione apponitur clausula, vt non nisi causa cognita di-
spensetur, vt Tridentinum sess. 25. c. 18. de reformat.
R testatur,

Sup. conten-
tiss. in hoc
supra in R.
28.

Sup. hoc in
Ref. seq.

Sup. hoc in
Ref. praeteri-
ta.

ANNAE
OMNIA
NO. III. IV. V
E. III